Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26117
Copyright: Admont, Benediktinerstift

suo illustrauerunt. doctores multis scripturis eam ornauerunt.
Perfecte autem ornatam frequentia angelorum. hanc sponso in celeste
aula coronandam adducet. quam in solio glorie collocatam.
coheredem regni faciet. Et hoc magnopere notandum.
quam multis malis eam tyranni et emula eius sepe temptaue-
runt. quot modis. quot dolis. quot insidiis. quot artibus. eam ab
amore sponsi auertere conati sint. nec ualuerunt. Et
ut pauca de pluribus replicemus. in primis signiferum eius abel
inuidiose strauerunt. per gygantes multa nefaria ei intu-
lerunt. patriarchas uariis modis afflixerunt. ioseph alumnum
eius per fratres uenditum carceri mendaciter incluserunt. ipsam in egyp-
to peregrinantem. uariis cruciatibus per pharaonem et populum eius
afflixerunt. filios eius crudeliter necauerunt. de egypto egre-
dientem consiliis et armis impiorum inpugnauerunt. in terra re-
missionis positam sub iudicibus et regibus multis bellis uexa-
uerunt. prophetas eius diuersis penis occiderunt. machabeos crudeliter
lacerauerunt. sub apostolis et eorum successoribus omnia membra ecclesie.
exquisitis et inauditis penis. per iudeos. per gentiles discerpse-
runt. mille mortibus necauerunt. demum per hereticos falso
dogmate. per falsos christianos simulatione ubique uexauerunt.
et his omnibus ei non preualuerunt. Adhuc sub antichristo eorum duce
omnibus modis temptationum instabunt. ut eam ab amore
sponsi auertant. ut promissam coronam perdat. et minime
preualebunt. quia ipsa eternam gloriam per patientiam. ipsi uero